



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransensis Thesaurarij
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

Barbosa, Agostinho

Venetiis, 1643

Sessio III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14108

In sententijs verò dicendis, iuxta ^f Toletani Concilij statutum, in loco benedictionis confidentibus Domini sacerdotibus, nullus debeat, aut immodestis vocibus pertrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis, vanisve, aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quicquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendantur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur.

^e Insuper ipsa sacra Synodus statuit, ac decreuit, quòd, si fortè contigerit aliquos debito in loco ^o non sedere, & sententiam, etiam sub verbo, *Placet*, proferre, Congregationibus interesse, & alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea præiudicium generetur, nullique nouum ius acquiratur.

Deinde indicta fuit futura sessio ad diem Iouis quartam mensis Febr. proximò venturi.

f Conc. Tol. II. c. 1.
Conc. Const. sess. 1. in princ. cap. in loco 1. q. 4. Vide & 4. Tolet. c. 3. g Idem in conclusione repetitur. Episc. forma prescripta. est. 1. Bnac. c. 24.

1. a **I**N Spiritu sancto legitime congregata. Quòd Spiritus sanctus Concilio generali legitime immediate assistat, resoluunt Iacobat, de Concil. lib. 10. art. 1. num. 205. Aragon. in 2. 2. D. Thom. q. 1. art. 1. pag. 88. Marc. Anton. Gentens, in practico. Eccles. q. 782. num. 3. vbi quòd sanctissimi Canones de instinctu Spiritus sancti dicuntur conditi.
2. Vtrum generalia Concilia auctoritate Summi Pont. legitime congregata, seu confirmata, in Fidei & morum definitione errare possint? dixi latè in collect. ad cap. Concilia, dist. 17.
3. ^β Omnes, & singulos Christi fideles, &c. An omnes Christi fideles interesse debeant Concilio generali: vide gloss. ult. & scribentes in cap. ult. de ijs, que fiunt à Pral. Iacobat, de Concil. lib. 1. art. 2. Turrecr. lib. 3. sum. cap. 12. cum seg. Alphons. Alvarez Guerrero in thesauro Christiana Relig. c. 52. §. 7. Rendina in promptuario receptor. sentent. tom. 1. tit. 19. num. 1. quorum magis communis est opinio ad vocem decisiuam solum Episcopos, aliosque superiores Prælatos conuocari, ceteros tamen eos, & seculares interesse posse absque decisiuo suffragio. Vnde Imperator, Reges, seu eorum Legati non ad diffiniendum aliquid suffragio, nec vt eorum auctoritate, & potestate aliquid decernatur, in concilijs interesse possunt, vt docent Ioan. Ecki. in locis communib. aduersus Lutherum concl. 2. de Concil. Anast. Germon. de sacrorum immunit. lib. 2. cap. 12. Card. Bellarm. in contron. lib. 1. de Concil. cap. 15. & 16. Valdes de dignitate Regum, Reguorumq. Hispania, c. 1. num. 2.
4. ^γ Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, &c. De munere Episcopali, & quæ ad illud rectè obeundum requirantur, latè dixi in meo tract. de officio & potest. Episc. p. 1. tit. 1. gloss. 1. cum segg. & de iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 1. & videndas Sebast. Medices in tract. de promouendis Episcopis, & Claudius Iaius in speculo Præfatis, Aloyf. Nouat. in Electa sacra lib. 3. excursu 31. vbi num. 620. ita ait. Arrigant hic aures Præiules, arrigant Sacerdotes, & dum in aliorum exemplum se in Ecclesia positos considerant, omnium nouis ac characteribus inscripti sint, à vitiorum labe immunes sint, vt iure à subditis reprehendi nequeat, nullisque mali occasio sint. Talem requirit Episcopum Apostolus cum ait: *Operetur Episcopum irreprehensibilem esse, quæ verba expendit cit. loco Petr. Damian. lib. 3. epist. 1.*


ostenditque Episcopi veluti typi & sigilli notas non esse pretiosa vestimenta, sed probos mores, & bona opera, cum Episcopi finitio sit, *Bonorum operum sectator*. Sed S. Patrem audire præstat. Consideremus interea quid super hac sententia Prædicator egregius dicat: *Qui Episcopatum, inquit, desiderat, bonum opus desiderat*. hic euidenter ostenditur, nihil aliud esse Pontificem, quam boni operis sectatorem. Non dixit bonam dignitatem, vel bonum honorem desiderat, sed qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: ac si dicat, qui ad Episcopatum anhelat possidendum sine bono opere inane: vult tamen induere sine Dei ipsius veritate; moxque subiungit: *Operetur Episcopum irreprehensibilem esse*. hic tanta: vult esse perfectionis Episcopum, vt penè extra naturam loquatur Apostolus; quis enim in carne constitutus tam cautè viuat: tam se sollicitè vndique circumspiciat, vt reprehendi aliquando nesciat? Væ his, qui & reprehensibiliter viuunt, & locum reprehensibiliter viuendi adhuc reprehensibilibus concupiscunt.

^δ Familiare verò suos, &c. Vide Fusc. de vifit. lib. 1. cap. 3. num. 7. Marc. Ant. Gen. in man. Pralat. cap. 22. de familia Episc. Campan. in diuers. Iur. Can. rub. 4. num. 44. Metipsum de offic. & potest. Episc. p. 1. tit. 2. gl. 16. à num. 5. usque ad num. 10.

^ε Insuper ipsa sancta Synodus, &c. Qui ordo in sedendo & subscribendo, & in alijs actibus generalis Concilij seruandus sit, vide Petr. à Monte de potest. Pontif. sub tit. Ordo assistentium in Concilio; & in Monarchia Concil. q. 5. Alphons. Alvarez Guerrero in speculo Iuris Pontificij cap. 51. de origine celebrandi Concilium §. 6. Iacobat. de Concil. lib. 1. art. 2. p. 2. cum segg. Roch. de iurepatron. verb. honorificum, q. 42. Cassan. in catalog. gloria mundi p. 4. consid. 23. latè Iacob. Valdes d. tract. cap. 2. à num. 5. qui in proemio eiusdem tract. num. 30. & cap. 3. num. 18. refert, Gallia, & Hispaniarum Regum Legatos in Tridentina Synodo super præcedentis in sedendo adeo magnam contentionem excitasse, vt in fine eiusdem Concilij hæc sint prolata verba. *Declarat sancta Synodus ex loco assignato Orientibus tam Ecclesiasticis quam secularibus in sedendo, aut quibuscumque alijs actibus nullum cuiquam eorum fuisse factum præiudicium, sed omnis illorum Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, & Principum suorum iura, & prærogatiuas illas, & saluas esse, in eodemque statu permanere prout ante præsens Concilium*

5.

6.



SESSIO III.

Decretum de Symbolo Fidei.

- 1 Initium à Deo.
- 2 Symbolum vnde dicatur.
- 3 Doctores de Symbolo Fidei agentes referuntur.

buie ab Apostolis, ibid.
Credo, siue Symbolum Fidei, à quo tempore recitari capit in Missa, ibid.

Consuetudo recitandi Symbolum Fidei ortum habet à nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti.
In hac sacrosancta, œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea præsentibus eisdem tribus Apostolica Sedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum considerans, præsertim earum, quæ duobus illis capitibus de extirpandis hæresibus, & moribus reformandis, continentur, quorum causa præcipuè est congregata: agnoscens autem cum Apostolo, non esse sibi colluctationem aduersus

Barbo. Collect. in Concil. Triad.

A 2 car.

Ephef. 6.
4. e qui testi-
fit, 1. 1. q. 3.

6. Conc. Nic.
Conc. Rom.
sub Jul.
Coacil. Hip.
in princio
Conc. Cōst.
6. actione 17.
cum sim. c. 1.
dist. 15. cba-
puzidos cū
seq. de con-
secr. dist. 4.
c. 1. de sum-
ma Trinit.
e Matth. 16.
cap. in nouo
21. distinct.
1. cap. Siqua-
tor. 1. q. 3.

carnem & sanguinem, non aduersus spirituales nequitas in cœlestibus, cum eodem omnes & singulos in primis hortatur, vt confortentur in Domino, & in potentia virtutis eius, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, atque galeam spei salutis accipiant cum gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque, vt hæc pia eius sollicitudo principium, & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit, & decernit præmittendam esse confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratoribus Concilijs hoc scutum contra omnes hæreses in principio suarum actionum apponere consueverunt. *¶ Quare Symbolum fidei*, quo sancta Romana Ecclesia vitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessariò conueniunt, ac fundamentum firmum & vnicum, contra quod portæ inferi nunquam præualebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesijs legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem eiusmodi est.

C R E D O in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium; & in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: & resurrexit tertia die, secundum Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis: & in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Indictio futurae Sessionis.

E A D E M sacrosancta, œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, intelligens multos Prælatos ex diuersis partibus accinctos esse itineri, nonnullos etiam in via esse, quo huc veniant, cogitantque omnia ab ipsa sacra Synodo decernenda, eo maioris apud omnes existimationis, & honoris videri posse, quo maiori fuerint, & pleniori Patrum consilio, & præsentia sancita, & corroborata, statuit, & decreuit, futuram Sessionem post præsentem celebrandam esse die Iouis, quæ subsequetur Dominicam Latere, proximè futuram: interim tamen non differri discussionem, & examinationem eorum, quæ ipsi Synodo discutienda, & examinanda videbuntur.

1. *a* **I**n nomine sanctæ, &c.] Concordat Apost. ad Colof. sensu sibi, quodcumque feceris in verbo, & opere, in nomine Domini Iesû Christi facite. Vide multa quæ tradunt Lusitan. Ioan. Vallent. Peixotius in addit. ad reber. Signoroli de Homedæus ad rubr. C qui admitti, ex num. 1. Mor. de contract. tit. Quomodo contractus deficiat, num. 17. cum seqq. Fr. Paulin. Bertu, Lucent. in praxi crimin. Regular. tit. 4. in princ. num. 6. Cardin. Pereira de empt. & vendit. cap. 1. num. 1. & 14. latè Stephan. Grauan. Marchia docif. 1.

2. *b* *¶ Quare Symbolum fidei, &c.*] Symbolum dicitur à *σῶν*, quod est simul, & *σῶλος*, quod est morcellus, quia vnusquisque Apostolorum suum morcellum, id est, partem suam apposuit, glof. in rubr. de summ. Trinit. Vel dicitur secundum Dionysium à *σῶν*, quod est con & *σῶλος*, quod est sententia, vel conuenientia, quia de omnium Apostolorum conuenientia stabilitum fuit, Gregor. Lopez lib. 1. verb. bocados, tit. 3. part. 1.

3. De Symbolo fidei vide S. Augustin. serm. 115. & 119. S. Ambros. serm. 38. de ieiunijs quadrag. S. Hieron. epist. 61. ad Pammachium. Turrecrem. lib. 1. sua sum. cap. 19. Bann. 2. 2. S. Thom. quest. 1. art. 9. Repert. Inquisit. verb. Ecclesia. Ruffin. de Symbolo fidei, Azor. instit. moral. p. 1. lib. 8. c. 5. Petr. Ledefm. in summ. p. 1. tract. de doctrina Christiana, in princio. Moltet. in sum. Theologia moralis, tract. 1. cap. 2. Cortolan. in compendio Concil. Constantinopolitani à pag. 91. Diego de Guzman de la excelencia del sacrificio de la ley Euangelica p. 2. 6. 7. §. 2. Sim. on Vaz Barbosa, frater meus, in tract. de significatis mysteriose sacrificij. Missa cap. 43. nouissimè D. Ioan. Serian. in exposit. Missa sacrosancta, p. 1. num. 90. cum seqq. vbi ita ait, Consuetudinem hanc (scilicet recitandi Symbolum fidei in Missa) ab Apostolis post compositum Symbolum ortum duxit, & probat Durant. de ritibus Eccles. lib. 2. c. 24. num. 14. auctoritate S.

Dionysij Areopagita. Apostoli enim antequam adiuuicem separarentur, vt dicunt Ioan. Eckius in enchirid. verb. Concilium, Card. Baron. annal. Eccles. anno Christi 44. num. 13. Anton. Posseuin. in Apparatu sacro, verb. Concilium, & alij, quando erant in prædicatu, & ad prædicandum Euangelium, per totum mundum iter instituebant, Concilium quoddam celebrarunt, in quo & Missam ordinarunt, & singuli singulos articulos proponentes, vt colligitur ex S. Clemente Romano epist. 1. ad Iacob. fratrem Domini, ex S. Leone I. epist. 96. quæ est ad Pulcher. ex S. Augustino serm. 115. de tempore, & ex alijs, Credo, siue Symbolum composuerunt, à quo tempore, teste S. Dionysio Areopagita de Eccles. Hier. cap. 3. vt notatur Dionys. Carthus. & Durant. vbi supra, in Missa recitari cepit, & recitatum fuit idem Apostolorum Symbolum in Ecclesia Romana vsque ad tempora Benedicti VII. (Octauo nuncupati, vt aduertit Ciacon. in eius vita.) nana quamuis dicat Platina in vita eiusdem, iussu S. Marci Papæ fuisse in Missa Symbolum Apostolorum cum Nicæno commutatum, & quamuis Luc. Pincl. lib. 2. de Missa, cap. 19. & 49. sequatur Innocentium III. id ipsum asseruerit de S. Damaso I. & Symbolo Constantinop. in quo per illam additionem, Filioque, contra Græcorum errores sanctissimæ Trinitatis mysterium apertius explicat, & quamuis vtrumque referat, & approbet Rodolph. Tungrensis de can. obseru. propof. 23. absque dubio conformius est vero id, quod ex auctoritate Bernonis de rebus ad Missam pertinentibus cap. 2. (qui se testem ocularem facit, & ferè per 200. annos Innocentium præcessit) dicunt Baron. anno 447. num. 19. & Seuer. Binus in notis ad Concil. I. Constantinop. vtpote Symbolum Apostolorum fuisse apud Romanos conseruatum, & in Missa recitatum pluiquam mille annos hoc est, vsque ad

ad tempora Benedicti VII. qui metu diuisionis, aut schismatis, & precibus S. Imperatoris Henrici I. iussit ad maiorem Ecclesiarum conformitatem, vt Romana Ecclesia in Missa omisso Apostolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Ecclesia Hispaniarum & Gallie

canebant, id est, Symbolum Constantinop. cum illa additione, filioque, in quodam Toletano I. vel III. iuxta varias editiones ex doctrina Leonis I. Papa contra Priscilianistas, & errores Græcorum, vt modo dicebamus, facta.

SESSIO IV.

Decretum de Canonicis scripturis.

- | | |
|--|-----------------------------|
| 1 Canonica scriptura. | 4 Traditio diuina que |
| 2 Opuscula SS. Patrum qua in Ecclesia Catholica recipiuntur. | 5 Testamentum vetus. |
| 3 Predicatio Episcopi in aliena diacesi prohibita. | 6 Machabeorum libri. |
| | 7 Editio vulgata, & Latina. |

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, vt, sublatis erroribus, puritas ipsa Euangelij in Ecclesia conseruetur: quod promissum antè per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus, Dei filius proprio ore primùm promulgauit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis, & salutaris veritatis, & morum disciplinæ a *omni creatura prædicari iussit*: perspicuensque hanc veritatem, & disciplinam contineri *in libris scriptis, & sine scripto traditionibus*, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos vsque peruenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam noui Testamenti, cum vtriusque vnus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus, à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, & veneratur. Sacrorum verò librorum ^a Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infra scripti, *7 Testamentis veteris*, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eisdem primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malach. *8 duo Machabeorum*, primus & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinth. ad Galatas, ad Ephes. ad Philippens. ad Colossens. duæ ad Thessal. duæ ad Timoth. ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Ioan. Apostoli tres: Iacobi Apostoli vna: Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. *9 Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.* Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipsa Synodus, post iam factum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimonijs, ac præsidijs in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus, sit vsura.

Marc. vii.

^a In c. Apoc. c. 14. Gelas. in con. 11. 70 ep. Conc. Laod. c. 59. Concil. Carthag. 3. c. 40. c. sancta Romana d. 15. & sim. epist. Eug. in Concil. Flor. ad Armenos.

1. Vide Paul. Fusc. de visitat. lib. 2. cap. 31. Iodoc. Cocc. tom. 1. sui thesauri Catholici lib. 6. de sacris Scripturis. Azor. instit. moral. p. 1. lib. 8. cap. 1.
2. De opusculis SS. Patrum, qua in Ecclesia Catholica recipiuntur, agunt Gelas. in cap. sancta Romana 15. dist. Couarr. lib. 4. var. cap. 16. per tot. Simanc. de Cathol. instr. c. 59. Can. de locis Theolog. lib. 2. cap. 5. Cardin. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de verbo Dei cap. 4. cum seqq. Jacob. Gretser. in defens. Bellarm. tom. 1. lib. 1. cap. 4. Ego ipse in collect. ad d. cap. sancta Romana. Et de Can. Apostolorum egi ad cap. Canones, 16. dist. & de Canon. sextæ Synodi, & Trullan. ad c. sextam, ead. dist.
3. *a Omni creatura prædicari iussit*] Marc. 16. Euntes in mundum vnusquisq. prædicate omni creatura, Matth. vii. Euntes ergo docete omnes gentes, &c. Vide Steph. Gratian. discept. forens. cap. 393. num. 11. vbi intelligit, nisi in alienis Diocesibus prohibeantur ab Episcopis locorum, refero Ego ipse de officio & potestate Episcopi p. 3. alleg. 76. num. 3.
4. *β In libris scriptis a &c.*] Vide Azor. instit. moral. p. 1. lib. 8. cap. 4. quest. 1. vbi quest. 2. vocat traditionem diuinam illam, qua in scripturis non continetur expressè, sed adhibito communi Patrum, vel Ecclesiæ sensu, certa, & necessaria consequitione ex sacris Literis colligitur, & q. 3. quatit quanam sint traditionum genera? *γ Testamenti veteris, &c.*] Vide Azor. instit. moral. p. 1. lib. 8. cap. 1. quest. 4. vbi quotnam sint libri sacri & libri Canonici. *δ Duo Machabeorum.*] Vide Arnald. Pontac. in annot. 6. ad Euseb. Cesariensem, col. mibi 446. Azor. d. cap. 1. quest. 5. vers. libri porro, vbi enumerat libros de quibus aliquando scriptores Ecclesiastici dubitarunt. *ε Si quis autem libros, &c.*] Vide Azor. instit. moral. part. 7. 1. lib. 8. cap. 3. q. 2. vbi q. 3. retoluit, quod appellatione vulgata, & Latina editionis non damnantur exemplaria Hebraica, vel Græca, ex quibus tanquam ex fontibus Latina editio fluxit, quæ quidem reuident suam fidem & auctoritatem, vbi incorrupta, & integra fuerint.

Barbof. Collect. in Concil. Trid.

A 3 Decre-